

fovere; velut stellam introrsus ambulantem, quæ solis radios redderet, memorat (u) *Sim. Maj.*

§. 16. Sic & *Kircherus* de Achate tradit, quod in eo circuli unà cum stellis delineati; & in aliò ursæ majoris asterismus; In felenite Lunæ non plenæ tantum; sed & cornutæ & dichotomæ figura comparuerint, &c. Pariter ac (x) *Agricola* de Tephrite lunæ incurvatæ formam representante.

§. 17. Lapidem alium, cui undiqvæq; stellæ impressæ, adducit (y) *Gesnerus*.

§. 18. In scrinio Imperatoris Rudolphi II. vidi, inquit Archiater ejus (z) *Ansel. Boëtius*, Jaspides, nemora, palustria loca, arbores, nubes & flumina, ita naturaliter referentes, ut procul aspicienti non lapis sed pictura putaretur.

§. 19. In agrò Veronensi lapides, in quibus sigilli Salomonis imago ad amussim depicta, inventos (A a) *Cardanus* refert.

§. 20. Tolfensi in agrò repertum esse genus lapidum, cui non græci tantum, sed & latini Alphabeti literæ omnes, præterea omnia ferè ea simplicium figurarum schemata, quæ Euclides in suis Elementis Geometricis demonstrat, à naturâ formata se vidisse scribit (b) *Kircherus*.

§. 21. In Fodinis Tyburtinis Inscriptionem crucis Christi quatuor his literis J. N. R. J. comprehensam, in lapide à Natura depictam *idem* notat.

§. 22. Lapidem quendâ marmoreum, depictam urbem turritam, domib<sup>9</sup> & fenestris instructam, continuisse, inq; suò Museo reservatum refert (c) *Kirch.* Jungo huic relationem Sympatriotæ æstimati, qui Norimbergæ, apud Ferdinandum Talienski, Baronem Bohemû, imaginem Constantinopoleos & Parisiorum in albò marmore depictam, ex lapidinis Italicis effossam, se vidisse asseverat.

§. 23. A rupibus aquilonaribus tonitruum vi, adeo ingentia saxa abscindi, ut præter amplitudinem admiratione dignæ formæ, quarum aliæ columnarum, aliæ pyramidum, aliæ obeliscorum, non aliter atq; periti fabri peregissent, apud (d) *Majolum* invenies.

§. 24.

(u) loci cit. p. 235. ex Aug. de Civit. Dei lib. 21. c. 5. & Isidor. lib. 16. c. 4. & 10.  
(x) Lib. 1. de Natura fossil. p. 176. (y) l. c. p. 39. (z) Lib. 2. de gemmis, cap. 95. (A a) l. c. ex Relatione Leonis Baptistæ Alberti. (b) Lib. 1. sect. 8. de lapidibus, c. 8. (c) lib. cit. c. 9. (d) loc. cit.